

Az Egri Káptalan 1640. október 1-jén kelt oklevele, amely latin nyelvű átiratban tartalmazza a Debrődy alias Szabó György szajoli plébános, Kun Balázs, Répás Péter és Nagy Mihály szajoli nemesek által bemutatott kettő oklevelet a következőkről:

a Budai Káptalan 1339. május 8-án kelt jelentése a Péter tenyői prépost kérésére Szécsényi Tamás erdélyi vajda és szolnoki ispán által elrendelt tenyőmonostori határjárásról,

az Egri Káptalan 1412. október 3-án kelt jelentése a Zsigmond király által elrendelt halászteleki határjárásról

Források:

Hegedüs-levéltár B jelzet, 5-8. oldal; HML XII-1/9 No. 321. Pag. 819-823.; Kandra Kabos (szerkesztő): Adatok az egri egyházmegye történelméhez, Második füzet, Eger, 1886., 370-374. oldal

Nos Capitulum Ecclesiae Agriensis Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit Universis: Quod Reverd Georgius Deöbrödy alias Szabó Parochus Possessionis Zayoll nec non nobiles Blasius Kun, Petrus Répás & Michael Nagy Incolae & inhabitatores eiusdem Possessionis Zayol nostram personaliter venientes in praesentiam, exhibuerunt nobis & praesentaverunt binas Litteras: unas quidem nomine Thomae, olim Vayvodae Transilvaniae & Comitis de Szolnok super Reambulatione Metarum Possessionis quondam Thenen-Monostora dictae in Comitatu de Zolnok existentis & habitae in pergameno patenter confectas, emanatas, Sigilloque eiusdem majori ab extra medietati earundem Litterarum impressive munitas; alteras vero nostras itidem super Metarum Reambulatione Possessionis Halásztelek dictae in praetacto Comitatu de Szolnok existentis & habitae Relatorias, similiter in pergameno sub pendentis & authentico sigillo nostro privilegialiter confectas & emanatas tenoris infrascripti, petentes Nos debita cum instantia, ut Nos Litteras ipsas aliis litteris nostris patentibus imprimis Protocollo nostro inserendo de verbo ad

verbum transummi & transscribi facere vellemus, quarum scilicet primarum praememorati olim Thomae Vayvodae tenor talis est:

Nos Thomas Vayvoda Transilvaniae & Comes de Zolnok tenore praesentium significamus quibus expedit Universis Quod vir Discretus Magister Petrus praepositus Ecclesiae de Thenen, Capellanus noster dilectus ad nostram accedens praesentiam, exhibuit nobis quasdam Litteras Honorabilis Capituli Ecclesiae veteris Budae formam nostri judicy continentes petens nos, ut easdem in formam nostrarum Litterarum Patentium transscribi faceremus maiori pro cautela atque cum eisdem confirmare. Quarum tenor talis est:

Magnifico Viro Domino Thomae Vayvoda Transylvaneo & Comiti de Zolnok Capitulum Ecclesiae Budensis sincere Reverentiae continuum incrementum. Vestra noverit magnificentia quod cum Nos Literis Magnitudinis vestrae per Discretum Virum Magistrum Petrum Praepositum de Thenen nobis exhibitis, ut tenemur, omni Reverentia receptis ad peragendum seu exequendum negotium in eisdem Literis Magnitudinis Vestrae expressum una cum Dominico, Filio Jak homine Magnificentiae Vestrae, Magistrum Stephanum Clericum Chori Ecclesiae nostrae pro Testimonio mississemus ydem postmodum ad nos renersi nobis concorditer retulerunt. Quod cum ipsi in Octavis Beati Georgy Martyris proxime praeteritis ad faciem possessionis praefati Magistri Petri Praepositi Thenen-Monostora vocate in Cottu de Zolnok habitae accessissent & eandem per veteres & antiquas metas suas, quas Stephanus Filius Ivan & Gregorius Filius Thomae, Nicolaus Filius Augustini nec non Stephanus Filius Buder, nobiles de Zayll, commetanei eiusdem Possessionis Thenen-Monostora demonstrassent conuocatis & praesentibus Universis vicinis & commetaneis eorundem reambulassent & a' dicta possessione Zayll vicinea & commetanea separassent & distinxissent ac Praenotato Magistro Petro & Ecclesiae sue memoratae perpetuo possidendam reliquissent. Que quidem metae ut Retulerunt, hoc ordine distinguuntur.

Quod incipit prima Meta a' Sanctuario Monastery Beati Petri Apostoli in eadem Thenen existentis & tendit uersus occidentem modicum flectendo ad

Septemtrionem & audit ad unum fossatum magnum & antiquum & ibi super ipsum Fossatum est una meta Terrea, deinde per eandem Plagam currit ad unam metam Terream, que est in Terra arabili, abhinc uersus eandem Plagam audit ad quoddam Fossatum, quod est, ante fluvium Er-vize nocatum, ubi est una meta Terrea & per ipsum fossatum currit directe ad unum Dumetum, vulgariter Rakottya Bokor vocatum & inde cadit ad fluvium Thyezae & ibi terminantur metae antedictae. Retulerunt etiam ydem Homo Magnitudinis Vestrae & Nostrum Testimonium, quod prelibati nobiles de Zayll & Magiser Petrus Praepositus Terram eorum pascualem, que inter easdem Possessiones Zayll & Thenen Monostora pecoribus & pecudibus eorum & Jobbagyionum suorum communiter ad utendum commisissent. Datum in Quindenis Festi Beati Georgy Martyris ante dicti Ao Dni Millesimo Trecentesimo Tricesimo Nono.

Nos igitur justis & legitimis petitionibus eiusdem Magistri Praepositi dilecti capellani nostri annuentes Consensum, Literas eiusdem Honorabilis Capituli Ecclesiae Budensis formam Judici nostri in facto depositionis Juramenti exponentes, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus promittentes, ut cum praesentes nobis fuerint reportate, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum in Vissegrad in Festo Sanctae Trinitatis, Anno supradicto.

Secundarum vero disposito seriesque & continentia verbalis est & sequitur tali sub verborum forma. Serenissimo Principi Domino Dno Sigismundo Dei Gratia Romanorum Regi Semper Augusto ac Hungariae etc Regi Capitulum Ecclesiae Agriensis Orationes in Domino debitas & devotas perpetua cum fidelitate. Noverit Vestra Serenitas Nos Litteras Vestras Summo cum honore Recipisse in haec verba:

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex Semper Augustus ac Hungariae etc Rex Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Agriensis Salutem & gratiam. Dicit Nobis Andreas, Filius Joannis de Halásztelek in sua, ac Joannis Fily Benedicti & Stephani Magni Fratrum suorum Patruelium de eadem Personis quomodi dicta Possessio ipsorum Halásztelek vocata in Comitatu de Szolnok exteriori existens ipsos Justo Juris Titulo concernens legitima Reambulatione &

novarum metarum erectione plurimum indigeret, si Contradictio cujuscumque ipsi non obviaret in hac parte. Super quo fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus Vestrum mittatis hominem pro Testimonio fide dignum, quo praesente Benediscus vel Nicolaus de Vaya aut Petrus de Mysse, Sive Emericus seu Andreas Darás dictus sive Nicolaus, Filius Jacoby de Sary, aliis absentibus homo noster ad faciem praedictae Possessionis Vicinis & Commetaneis suis Universis inibi legitime convocatis & praesentibus accedendo reambulet eandem per suas veras metas & antiquas, novas inter veteres in Locis necessariis erigat reambulataeque & ab aliorum juribus Possessionariis metaliter separatam & distinctam relinquat praefatis Andreae, Joanni & Stephano, cum cunctis suis utilitatibus jure incumbenti perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum, contradictores vero, si qui fuerint, evocet ipsos contra annotatos Andream, Joannem & Stephanum nostram in praesentiam rationem contradictionis eorum reddituros; & post haec ipsius Possessionaria Reambulationis seriem cum cursibus metarum & Locis eorundem, nominibusque Contradictorum evocatorum, si qui fuerint Terminoque assignato nobis fideliter Rescribatis. Datum Budae Feria Tertia proxima ante Festum Nativitatis Virginis gloriosae Anno Domini Millesimo Quadragesimo Duodecimo. Regnorum nostrorum Anno Hungariae Secundo: Romanorum vero Secundo.

Nos itaque Mandatis Vestrae Serenitatis in omnibus obedire cupientes, ut tenemur, secundum earundem Litterarum Vestrarum Continentias una cum praenominato Benedicto de Vaya homine Vestro in eisdem Litteris Vestris inter alios nominatos expresso nostrum hominem videlicet Franciscum Praesbyterum Rectorem Altaris Beatae Annae Matris Mariae in dicta Ecclesia nostra fundati ad praemissa peragenda nostro pro Testimonio transmimus fide dignum. Qui demum exinde ad nos Reversi Nobis uniformiter Retulerunt isto Modo. Quomodo ipsi Die Dominico pro tunc post Festum Exaltationis Sanctae Crucis proxime praeteritum ad faciem praedictae Possessionis una cum Vicinis Suis Universis inibi Legitime Convocatis praesentibus accedendo Reambulassent, cumque per suas veras metas & antiquas novas juxta veteres in Locis necessariis erigendo, reambulantamque & ab aliorum juribus Possessionariis metaliter separatam & distinctam reliquissent praedictis

Andreae, Joanni & Stephano cum cunctis suis Utilitatibus jure ipsis incumbenti perpetuo possidendam, & prout moris est, & huius Regni consuetudo, diebus & Terminis ad id aptis & sufficientibus in facie eiusdem commorantes nullo penitus Contradictore apparente. Metae autem praedictae Possessionis Halásztelek per eosdem hoc ordine distinctae & separatae exstitissent, Quod primo incepissent penes Magnam viam, quae de Villa Halásztelek praedicta transit versus Meridiem ad Villam Vaysath penes Longum Fossatum ubi exstitissent Metam Terream, & ab hinc per eundem Fossatum eundo ad occidentem per magnum spatium flectendo ad septentrionem penes quandam viam quae transiret ad Villam Aleh penes Magnum Fossatum, quod exit de praedicta Halásztelek, ubi fecissent Metam Terream, ab hinc itaque versus Septentrionem procedendo pervenissent in Portum Tyciae ubi signum metale Terreum ostendissent ac duos Rubetos, Rakattya Bokor, Reperissent & ibidem signum metale erexissent, sic itaque & metas praedictae Possessionis ibidem terminassent. In cuius Rei Memoriam firmitatemque perpetuam praesentes contulimus Litteras nostras Privilegiales, minoris nostri Sigilli munimine Roboratas. Datum Sedecimo die Diei Reambulationis praenotatae. Anno Domini Supradicto.

Nos igitur ipsis & legitimis petitionibus supra nominator Georgy Debrödi alias Szabó Parochi supra fatae Possessionis Zayoll ac nobilium Balsy Kun, Petri Répás & Michaelis Nagy Incolarum ejusdem Possessionis Zayoll tam proprys quam Reliquorum Coincolarum suorum nominibus & personis factis exanditis, ac prout dictae & tenore inclinati easdem Litteras Privilegiales nobis modo praevio exhibitas & praesentatas quod omni eorundem Continentias, Clausula & Articulos eatenus, quatenus eadem Rite & legitime existentes emanatae viribus eorundem veritas suffragaret non abrasas, non Cancellatas, neg. in aliqua earundem parte Suspectas & vitiatas, verum omni prorsus vetio & ambiguitatis Serupulo Carentes & destitutas praesentibus Litteris Nostris Transumptionalibus sine diminutione & augmento variationeque & transpositione aliquali prout videlicet eadem exhibitae sunt nobis & praesentatae, imprimis Prothocollo nostro inseri & inseribi facientes paria sive exemplar earundem hocce praesenti Litterarum Nostrarum Transumpto, Authentici Sigilli Nostri munimine Roboratas, dolo & fraude quibusvis semotis

Jurium earunde futuram ad Cautelam necessar extradandas duxinai & concedendas Communi quadente justitia. Datum Feria Secunda Proxima Post Festam Beati Michaelis Archangeli. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo.